

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

Prot. n. 44301/10 CG

N

Nullitatis matrimonii

(X – Y)

Querelae nullitatis et recursus adversus decretum rotale

DECRETUM

In causa, de qua supra, Cl.mus D.nus X die 16 octobris 2005 libellum obtulit Tribunal Regionali N, nullitatis accusans matrimonium die 27 decembris 1986 celebratum cum conventa, Cl.ma D.na Y.

Tribunal Regionale N die 24 aprilis 2007 in prima instantia constare edixit de nullitate matrimonii tam ob gravem defectum discretionis iudicii (cf. can. 1095, 2^o) quam ob incapacitatem obligationes matrimonii essentiales assumendi (cf. can. 1095, n. 3^o) ex parte mulieris conventae.

Die 2 augusti 2007 mulier conventa apud Tribunal Regionale Appellationis querelam nullitatis exhibuit una cum appellatione. Cl.mus eius Patronus autem die 14 aprilis 2008 praefatae querelae nullitatis abrenuntiavit.

Lato die 17 septemboris 2008 a Tribunal Regionali Appellationis decreto confirmatorio quod ope decreti H.S.T. diei 8 ianuarii 2009 exsecutivitate praeditum declaratum est, mulier conventa die 16 februarii 2009 querelam nullitatis ob denegatum ius defensionis (cf. can. 1620, 7^o) adversus decretum confirmatorium Tribunalis Ecclesiastici Regionalis Appellationis apud Rotam Romanam exhibuit, petens subordinate novam causae propositionem ad normam can. 1644, §1. Turnus rotalis die 19 februarii 2010 decrevit: «Decretum confirmatorium, diei 17 septemboris 2008, irritum non esse; novam causae propositionem esse concedendam, in casu».

Quo decreto die 19 iulii 2010 publicato, Cl.mus Patronus viri actoris die 4 augusti 2010 ad H.S.T. provocavit, variis cum adnexis probationibus, proponens querelam nullitatis sanabilis ob assertum defectum motivationis (cf. can. 1622, 2^o) adversus decretum, quo Rota Romana die 19 februarii 2010 novam causae propositionem concessit necnon, subordinate, recursum adversus idem decretum.

Die 17 augusti 2010 Rev.mus H.S.T. Promotor Iustitiae, vices Exc.mi Secretarii gerens, vi art. 6, §2, n. 2 *Legis propriae* H.S.T., sive querelam nullitatis sive recursum in limine reiecit. Die 7 septembris 2010 Cl.mus Patronus viri actoris ad Em.mum H.S.T. Praefectum provocavit.

Re rite discussa inter Cl.mos partium Patronos, Rev.dum Defensorem vinculi deputatum et Rev.mum Promotorem Iustitiae Substitutum,

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

Re sedulo examini subiecta;

Considerato quod Rev.mus H.S.T. Promotor Iustitiae, vices Exc.mi Secretarii gerens, decreto diei 17 augusti 2010 vi art. 6, § 2, n. 2 *Legis propriae* H.S.T., sive querelam nullitatis sive recursum in limine reiecit eo quod:

- querela nullitatis coram Signatura Apostolica non datur adversus decretum, «quo nova causae propositio admittitur, eo quod de decisione non agitur vim sententiae definitivae habente, cum nec iudicium impedit nec ipsi iudicio aut alicui ipsius gradui finem ponat, ne ad aliquam saltem partem in causa quod attinet (cf. can. 1618)»;

- Signatura Apostolica cognoscit exclusive recursus, «in causis de statu personarum, adversus denegatum a Rota Romana novum causae examen» (art. 33, n. 3 *Legis propriae* H.S.T.; cf. etiam art. 122, n. 2, Const. Apost. *Pastor bonus*; cf. can. 1445, §1, n. 2);

Considerato quod plane constat nullum prorsus haberi dubium de firmitate iurisprudentiae H.S.T. ad praefatas decisiones quod spectat;

Vi art. 41, §1 *Legis propriae* H.S.T.;

Re sedulo perpensa, in Congressu coram infrascripto Praefecto die 27 maii 2011 habitu,

decrevit:

In decisio*n* et non amplius proponi.

Pro expensis retinetur cautio in arca H.S.T. deposita. Partes suo quaeque Patrono congruum solvant honorarium.

Quod notificetur iis, quorum interest, ad omnes iuris effectus.

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

Datum Romae, e sede Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis, die 27
mai 2011.

Raimundus Leo Card. BURKE, *Praefectus*

+ Franciscus DANEELS, o.praem., *Secretarius*